



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. Adulterarum impudentia & multitudo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

plus aetate media, ignobili, impuro, abnuere illi non sustinuit Drusi  
 mariti sui, filij Tiberij Caesaris, heredistanti imperij, iuuenis formo-  
 sissimi, generosissimi, animosissimi; adhuc liberorum, quos susceperat,  
 necem. Spreta regni certissima spe, excussa pietate filiorum, non re-  
 uerita Antoniam matrem, & Augustam auiam, grauisimas saculi  
 sui matronas: immemor nobilissimi sanguinis, tum patris fratrisq.,  
 quos humanum genus de probitate pro dijs venerabatur; paratis, sub  
 sagacissimo & sauisimo socero, tormentis; sub quibus & Linia ipsi,  
 & Sciano, & eorum amicis omnibus anima erat (ut euenit) per mil-  
 le atrocissimas neces exigenda. Nimirum nihil sibi reseruat mulier,  
 qua pudicitiam abiicit. Nec quidquam sanctum est, ubi moecha  
 est. Quod nimis expertus est magnus ille Sanctus aequè in mar-  
 tyrio sustinendo, etque in adulterio castigando generosus. Si-  
 quidem misit Herodes ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere,  
 propter Herodiam uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.  
 Quod cum ei licere negaret Ioannes, capite luit; mulieris con-  
 filio, puella petitione, mercede saltatricis. Igitur occisus est  
 Propheta, ut aduersarium non haberet adultera.

Erubescio dicere, quae alij viri nequam, aliaeque feminae,  
 intemperantia excitatae, sine verecundia, contra sanctissimam  
 fidem coniugalem, etiam cum alieno sexu, cum mortuis, cum  
 brutis, cum ipsis immundis spiritibus non erubescunt factitare.  
 Duo solum, ex Herodoto, afferam, quorum vnum exemplum,  
 in re turpi, superbiam plus quam impudentem, alterum mon-  
 strosam frequentiam eiusmodi muliercularum demonstrat.  
 Macarum, in Africa, finitimi sunt Gindanes, quorum uxores fe-  
 runt simbrias pelliceas singula multas, ob hoc (ut memoratur) quod  
 ut a quoque viro venerem passa est, simbriam orat; & ut quae plu-  
 rimas habet, ita praclarissima censetur, tanquam a pluribus viris  
 adamata. Hic mos si nunc etiam vigeret, quam multa totae pel-  
 licae, & simbrijs obductae essent? Verum quid opus est signum  
 in veste gerere pudoris prostituti? in oculis, in fronte, in ser-  
 mone, in ipsa procacissimi habitus lenitate, & pectoris atque  
 vberum prostitutione, argumenta libidinis produntur. Lais  
 certe amula Phrynes, ex multitudine impudicorum gloriam  
 captabat, teste Athenæo. Ac ne, in hoc sexu, natura alioquin

Herodot. I. 4.

Herodot. I. 4.

XIX

Marc. 6.

Herodot. I. 4.

Herodot. I. 4.

Herodot. I. 4.

XIII.

Herodot. I. 4.

Herodot. I. 4.

Herodot. I. 4.

Athenæus

lib. 13. c. 29.

ad

- ad verecundiam magis destinato paucitas istarum mereatur excusationem, alterum prædictus author exemplum istud narrat. *Pheron Sesostris filius, Ægyptius rex, luminibus orbatus, cum circiter decennium cecitati remedia quasuisset: tandem oraculo monitus est, ut oculos mulieris urina lauaret, qua alium, quam virum suum, non agnosisset. Quamobrem à regina incipiens, per multas Ægyptias mulieres expertus, ægritudini suæ remedium nullum invenit, nisi per uxoris urinam cuiusdam olitoris, quæ prodigioso experimento, inter Ægyptias, sola casta inventa fuit. Ægyptus non est ubique, dices. Utinam non sint etiam Ægyptiorum mores!*
- XIV. Ob hanc perfidiam, *Perse & Parthi uxores, in secretiorum domus parte à viris semotas habitare volunt, neque in publicum prodire sinunt: in itinere autem faciendo, curribus velatis utuntur.* Et in commento *Themistocles ad regem Persarum tuto profugit, cum comites Græcam mulierculam ex Ionia se regis cuidam cubiculario adducere assererent. Et Thraces uxores asseruant vehementer. Romani, non solum Julia lege, sed etiam fibula usi sunt; quæ hodieque nonnulli uxores suas sollicitè & serviliter obsecrare dicuntur, in testimonium suæ calamitatis. Qui enim cauet, timet: qui timet, miser est. Misericordiam tam malam, cur in bono statu Deus relinquit? aut quantum bonum fides conjugalis, si est perfidia, tantum malum, insidiatur? Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere, aiebant discipuli ad Christum: quid dicit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datur.* Neque verò hoc Sacramentum, ut dixi, singulis necessarium est, sed in aliquibus duntaxat indeterminatis, pro generis humani conseruatione. Qui vult uxorem ducere, ducat; sed periculum expectet, quæ sunt huic statui coniuncta, noueritque, rosas sine spinis non crescere. Ad fidem tamen & tantum matrimonij bonum conseruandum, varia Deus in veteri ac nouo Testamento præcepta dedit, varia supplicia proposuit. Hinc & apostolus ait: *Honorabile coniugium, in omnibus, scilicet legitimis coniunctis, quicumque illi sint, siue senes, siue iuuenes, siue diuites, siue pauperes, ut Theophylactus exponit; seu ut alij magis appositè ac genuinè exponunt: in omnibus; id est, in omni honore & honestate coniugij est seruanda; ut scilicet fides*